

Intitulationis tenor:

Reuerendis, Magnificis, Venerabilibus, Egregijs, Nobilibus, Prudentibus et Circumspectis, Fidelibus nobis dilectis, vniuersis Statibus et Ordinibus Regni nostri Croatiae.

(Sigillum Regium in exteriori facie appressum.)

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 130.

CXCH.

Anno 1567. die 29. Iulii. Posonii.

Maximilianus Rex Vicebani, Prothonotarii, Viceprothonotarii, Vicecomitum et Iudicum Nobilium Regni Slavoniae bona secundum consuetudinem et legem ejusdem Regni a census et taxae publicae solutione immunia esse vult.

Maximilianus Secundus, Dei Gracia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germanie, Hungarie, Bohemie &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundie &c. Fidelibus nostris Reuerendo, Magnifico et Egregijs Prefecto caeterisque Consiliariis Camere nostre Hungarice. Item Comiti, Vicecomitibus et Iudicibus Nobilium Comitatum Regni nostri Sclauoniae, ac dicatoribus et exactoribus quarumcunque taxarum et contribucionum nostrarum, subsidiorumque et lucri Camere nostre in prefato Regno nostro Sclauoniae exigendarum, presentibus et futuris, salutem et gratiam. Expositum est Maiestati nostre in personis fidelium nostrorum Vniuersitatis Dominorum et Nobilium Regni nostri Sclauoniae graui cum querela, Quod licet vniuersa bona possessionaria in Regno nostro Sclauoniae sita et habita fidelium nostrorum Egregiorum et Nobilium Vicebani, Prothonotarii et Viceprothonotarii nec non Vicecomitum et Iudicum Nobilium in prefato Regno nostro Sclauoniae commorantium, tanquam Iudicum Ordinariorum pro tempore constitutorum, semper a memoria hominum exempta fuissent a census et taxe publice solutione; sed tamen vos, nescitur vnde inducti, non modo non eos in antiqua eorum tali recepta consuetudine, prerogatiua et libertate conseruandos esse putaretis, sed etiam vt eos in iis turbaretis vexaretisque in animo propositum haberetis contra antiquas eorum libertates et prerogatiuas vsu receptas et inueteratas, iniuria, dampno et preiudicio eiusmodi eorum libertatis et prerogatiue manifesto et valde magno: Supplicantes nobis humiliter, dignaremur ipsis de opportuno superinde remedio graciosè prouidere, curareque memoratis Iudicibus nostris ordinariis eiusmodi antiquam semper a memoria hominum vsam